

minum, a quo fit motus, et inter terminum ad quem. Item, verum est de aliis motibus *physicis*, ut in augmentatione, permutatione successiva, etc.; nam prius, e.g., dimidium caloris introducit in aquam, quam summus calor. Falsum vero est de actionibus quibuscumque *instantaneis*, uti est illuminatio, intellectio etc.; cum enim in his nulla per se sit necessaria successio, nullus quidem transitus per se requiritur ad medium prius quam ad extremum. Hinc s. Bonaventura effatum istud explicat hunc in modum: « Quandoque inter aliqua extrema cadit medium, quod habet naturalem ordinem ad extrema, impossibile est, quod agens virtutis finitae possit pervenire ab extremo ad extremum sine medio. Ut patet, quia inter album et nigrum est medius color, impossibile est, quod aliquid agens creatum faciat de albo nigrum, quin faciat per colorem medium ¹ ». Rursus, ne semper quidem verum est in Ethica; non enim necessum est a vitio ad vitium, uti a profusione ad avaritiam procedere, seu transire per virtutem, uti liberalitatem; virtus enim est medium per recessum ab utroque extremo.

XXIII. EX VERO NUMQUAM SEQUITUR FALSUM, ET EX FALSO NON SEQUITUR PER SE VERUM ².

F

DISTINCTIONES

I. FACERE—AGERE ³.

II. FELICITAS OBIECTIVA—FELICITAS FORMALIS. *Felicitas obiectiva* est illud bonum, cuius adeptio hominem felicem reddit, nempe Deus. *Formalis* est huius boni perfecta possessio. Hanc beatitudinem formalem hominis Thomistae essentialiter sitam esse docent in actu intellectus, scilicet in visione Essentiae Divinae, quam visionem amor *fruitivus*, tamquam inseparabilis eius proprietas, consequitur. Scotistae e contrario eam collocant in solo actu amoris, quo diligitur Deus propter se, ita ut visio non se habeat, nisi ut dispositio ad amorem. Alii autem u-

¹ In lib. I Sent., Dist. XXXVII, p. 2, a. II, q. 2 in fund.

² Vid. litt. V.—³ Vid. p. 10.

tramque sententiam componunt, et beatitudinem *formalem* dicunt esse simul actum intellectus, et voluntatis, nempe visionem, et amorem.

III. FINIS NATURALIS—SUPERNATURALIS. *Finis naturalis* ille est, quem creatura potest attingere secundum suae naturae vires, *supernaturalis* vero est ille, ad quem creatura secundum vires suae naturae pervenire non potest. Ita, sanitas est *naturalis* finis medici, qui eam per remedia naturalia obtinet: Vita aeterna, quae in Divina visione consistit, est finis *supernaturalis* creaturae rationalis, quia illa visio est supra naturam cuiuslibet creaturae, ac proinde ad ipsam non nisi ope Divinae gratiae perveniri potest.

IV. FINIS OPERANTIS—FINIS OPERIS. *Finis operis* est illud ipsum, quod per operationem efficitur. *Finis operantis*, qui dicitur etiam *finis intentionis*, est illud, quod sibi proponit agens in sua operatione. E. g., « forma domus est finis terminans operationem aedificatoris; non tamen ibi terminatur intentio eius, sed ad ulteriorem finem quae est habitatio; ut sic dicatur, quod finis operationis est forma domus, intentionis vero habitatio ¹ ». Item, bonum corporis potest esse finis virtutis, quasi quidam terminus, vel effectus virtuosae operationis; non autem sicut in quo stet virtutis intentio; quia, cum virtus sit perfectio animae, quae est corpore nobilior, et cum nihil agat propter vilius se, non potest esse quod in bono corporis intentio virtutis quiescat ² ».

Dicitur quoque *finis operis* id, ad quod opus natura sua spectat; *finis autem operantis*, illud, quod agens ad libitum sibi proponit, e. g., respectu eleemosynae, subsidium pauperi ferre est finis *operis*; charitas, aut inanis gloria est *finis operantis*; item, respectu aedificationis domus, commoda habitatio est finis *operis*; lucrum, vel aliud est finis *operantis*. Aliquando finis *operis* cum *fine operantis* conspirat, uti cum architectus propriam sibi aedificat domum.

V. FINIS PRIMARIUS—FINIS SECUNDARIUS. *Primarius* est, quem agens ita respicit, ut, omni alio fine deficiente, etiam operaretur; *secundarius*, propter quem, si solus es-

¹ *Qq. dispp.*, De Pot., q. III, a. 16 c.

² In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. I, a. 4, sol. 1 ad 4.

set, opus non efficeret. Puta, si quis philosophiae studio operam navaret tum propter delectationem, quam inde capit, tum propter utilitatem, quae hinc derivatur, eo tamen discrimine, ut huiusmodi studio minime incumberet, si sola haberetur utilitas, bene vero, si sola delectatio, haec esset finis *primarius*, illa, *secundarius*. Quocirca finis *primarius* principaliter, et directe ab agente intenditur, *secundarius* vero, quatenus fini primario adnectitur, unde et *accessorius* appellari solet.

VI. FINIS PROXIMUS—FINIS REMOTUS. *Finis proximus* est ille, quem ita volumus, ut propter ipsum alios fines consequamur. *Finis remotus* dicitur, prout ad alium finem non refertur, atque ad illum fines proximi ordinantur. E. g., proelium est *finis proximus* exercitus in aciem ordinati; victoria est *finis remotus*. Item, qui sua in pauperes erogat bona, ut, eos a miseria sublevando, ipse a Deo misericordiam consequatur, levamen pauperum *finis illi proximus* est, *remotus* misericordiae consecutio. Dicitur *proximus*, quia *immediata*, seu, nullo alio fine interposito; *remotus*, quia *mediate*, seu alio, vel aliis finibus interpositis, ab agente obtinetur. Finis autem *remotus*, si sit velut ultimus terminus, in quo quiescitur, dicitur finis ultimus, qui est beatitudo. Hinc finis ultimus definitur: Id, quod expetitur propter se tantum, et propter quod cetera omnia expetuntur. Qui finis ultimus, adnotante s. Bonaventura, est *propriissime finis, in quo est status*: alii fines sunt *fines sub fine*, et proprie dicuntur *termini* ¹.

VII. FINIS QUO—FINIS CUIUS—FINIS CUI. *Finis cuius*, nempe *cuius gratia*, qui dicitur etiam *exterior*, vel *obiectivus*, est ipsa res, in qua ratio boni invenitur, quaeque proinde appetitur. Huiusmodi est sanitas respectu infirmi, et pecunia respectu avari. *Finis quo*, sive *interior*, vel *formalis* est usus, sive adeptio finis *obiectivi*, puta possessio pecuniae; et dicitur *quo*, quia est illud, quo possidemus rem, quae appetenda obicitur. Hinc ultimus finis *cuius* est communis homini, atque aliis creaturis, quia Deus est ultimus finis hominis, et omnium aliarum rerum. In fine autem *quo* non conveniunt homines, et creaturae ratione carentes, nam, ut ait s. Thomas, « homo et aliae rationales creaturae consequuntur ultimum finem,

¹ In lib. I Sent., Dist. I, dub. XV.

cognoscendo et amando Deum, quod non competit aliis creaturis, quae adipiscuntur ultimum finem, secundum quod participant aliquam similitudinem Dei, quatenus nempe sunt, vel vivunt, vel etiam cognoscunt ¹ ». Denique *finis cui* est subiectum, cui bonum volumus, e. g., infirmus est finis, *cui* fertur intentio medici, hic enim intendit sanitatem tamquam bonam infirmo. Qua in re illud praestat adnotare, quod cum Deum *nobis* appetimus, nos non sumus ultimus finis *cui*, sed Deus ipse; si enim Deum amamus *nobis*, est propter Deum, qui vult a nobis diligere tamquam ultima nostra perfectio, et possessio.

VIII. FORMA—FIGURA—*Figura* duobus fere modis sumitur: 1^o pro ea qualitate, quae in omni quantitate mathematica reperitur, atque exurgit ab externo rei termino, qui eam metatur, et circumscibit. Inde res dicuntur curvae, quadratae, aut alio quodam modo figuratae. 2^o Pro rei alicuius imagine, ut cum dicimus Caesaris figuram esse in tabella. Et quoniam *figura* hoc modo accepta veluti signum rei intelligitur, ideo « translatum est nomen figurae, ut ponatur pro quolibet signo quod instituitur ad aliquid significandum secundum assimilationem ad aliud ² ». *Forma* vero hic accipitur pro ea qualitate, quae ex varia partium magnitudine, collocatione, proportionem, et colore oritur. Inde res dicitur formosa, vel deformis ³.

IX. FORMA—MATERIA—Sunt duo principia, ex quibus non modo secundum Scholasticos, sed etiam secundum plerosque veteres, recentesque Doctores quodvis physicum compositum exurgit; siquidem docent compositum naturale generari ex praesupposito subiecto, quod introductionem formae cum privatione ipsius praecedat. Iam *materia*, seu *materia prima* est principium substantiale indifferens ad quodlibet constituendum. *Forma* seu *forma substantialis* est principium substantiale per se ad id ordinatum, ut cum *materia prima* compositum naturale, tamquam potissima huius differentia, constituat. Scilicet, cum *materia* vaga sit, atque indifferens ad quodlibet compositum, a *forma*, quam recipit, determinatur, ut sit haec, et non

¹ 1^a 2^{ae}, q. I, a. 8 c.

² In lib. III Sent. Dist. XVI, q. II, a. 1 ad 1.

³ « Formas designamus, cum formosos, aut deformes asserimus »; s. Aug., *De Mus.*, lib. IV, c. 12.

alia compositi naturalis species. Exemplum accipe ab artefactis. In his lignum, e. g., est materia communis, ex qua quaelibet statua fieri potest, figura vero ab artifice inducta lignum ad determinatam statuam constituit, ita ut idem lignum, dum habet figuram Caesaris, fiat statua Caesaris, et dum habet figuram equi, fiat statua equi. Eodem fere modo *materia* naturalium compositorum eadem et communis omnibus intelligitur, sed dum varias formas suscipit, in varias substantiae species trahitur; dum enim habet *formam* hominis, fit homo; dum *formam* equi, fit equus; dum *formam* arboris, fit arbor. Hinc tot sunt penes Peripateticos *formae substantiales*, quot sunt diversae physicarum substantiarum species.

Ut autem ista Scholasticorum placita clarius innotescant, haec adnotamus: 1^o *Materia* ab Aristotele esse dicitur quod *non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, per quae ens determinatur, sed est commune horum subiectum*; nempe *materia* neque ulla determinata species entis est, neque aliquid eorum, quibus essentia completa rei determinatur, sed est velut aliquid, quod potest in se recipere essentiam rei, et ea, quibus essentia determinatur. E. g., *materia*, ex qua fit ignis, non est ipse ignis, nec eius quantitas, color, figura, motus, aut quodvis simile, nec primum eius principium activum, sed est *commune eorum subiectum*, nempe intelligitur tamquam illud quod subiicitur iis omnibus, quae in se recipere potest ¹.

2^o *Materia*, ut consequitur ex dictis, non habet per seipsam existentiam talem, e. g., existentiam ligni, ferri etc., sed per formam ligni, ferri, etc., quia *materia per se* neque lignum est, neque ferrum etc. Quinimmo Thomistae, alique plures addunt materiam nullum habere actum *entitativum* ², seu omnino existentia sui proprie destitui, atque tantum existere per existentiam totius compositi. Id manifeste docet s. Thomas. « Dicere, ipse inquit, materiam praecedere sine forma est dicere ens actu

¹ « Hylea namque Graeci, cum de natura disserunt, materiam quamdam rerum definiunt, nulla prorsus modo formatam, sed omnium corporalium formarum capacem; quae quidem in corporum mutabilitate utcumque cognoscitur; nam per seipsam nec sentiri, nec intelligi potest »; s. Aug., *Contra Faustum*, lib. XX, c. 14.

² Vid. *Actus*, p. 11.

sine actu ¹ ». Atque insuper: « *Materia prima non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum* ² ». Hinc *materia* neque est ens simpliciter, neque non ens simpliciter, seu nihil, sed aliquid medium inter utrumque; existit enim, ut s. Bonaventura inquit, *secundum realitatem potentiae, sive per modum inchoationis entis* ³.

3^o *Forma*, cum constituat et determinet materiam, ut sit aer, aqua, ignis etc., dici solet *actus*, sicut e contrario *materia* dicitur *potentia*, eo quod est indifferens ad quamlibet speciem entis. A Graecis *forma* vocatur etiam *επιτέλεια*, idest perfectio, eo quod omnis perfectio, quae res gaudet, fit per *formam*, sicut capacitas perfectionis est per *materiam*.

4^o *Forma* est quidem *actus* respectu constitutionis alicuius rei, at in se est *potentia* respectu existentiae, quia in se haud involvit ultimum actum, qui est existentia; in entibus enim finitis essentia ab existentia distinguitur ⁴. Hinc *forma* non est *purus actus*, id quod solius Dei est, in quo existentia idem est ac essentia ⁵.

X. FORMA—CAUSA FORMALIS. Eadem *forma* dicitur simpliciter *forma* respectu subiecti, in quo recipitur; *causa formalis* respectu effectus, qui inde constituitur; ipsa enim, ut in *Effatis* explicabitur, *dat esse rei*. Ita anima rationalis est *causa formalis* respectu hominis, quia ipsa hominem constituit; *forma* autem respectu corporis, quia in corpore recipitur.

XI. FORMA SEPARATA—FORMA INFORMANS. *Forma separata* est, quae nullum ad materiam ordinem habet, ita ut non solum a materia non dependeat, sed ne possit quidem ipsi uniri, puta Angelus. *Forma informans* est quae in materia recipitur; et unum cum ea constituit, e. g., anima respectu viventis.

XII. FORMA SUBSTANTIALIS—FORMA ACCIDENTALIS. Sunt hae duae species *formae informantis*. Prima in hoc differt

¹ I, q. LXVI, a. 1 c.—² *Ibid.*, q. VII, a. 2 ad 3.

³ *In lib. II Sent.*, Dist. XII, a. I, q. 1 ad arg.

⁴ Vid. s. Thom., I, q. LXXV, a. 5 ad 4.

⁵ Praestat has theorias cum illis theorematis conferre, quae mox quoad *formam*, et deinceps quoad *generationem*, litt. G, et circa *materiam*, litt. M, exponemus.

ab altera, quod *substantialis* hanc, vel illam speciem substantiae constituit; e. g., id quod materiam determinat, ut efficiat lapidem, est *forma substantialis* lapidis; forma autem *accidentalis* est quae advenit subiecto iam completo in *esse* substantiae; atque huiusmodi spectari potest quodvis accidens, quod in alio tamquam subiecto inhaesionis est, sive sit artefactum, ut forma sellae, scamni etc., sive sit naturale, ut calor, frigus etc. Hinc forma *substantialis* unum *per se* cum subiecto, sive materia constituit, forma autem *accidentalis* unum *per accidens*¹. Hinc etiam forma *substantialis* dat *esse simpliciter*, seu primum *esse*, quod alii non subiicitur, forma autem *accidentalis* dat quoddam *esse secundarium*; e. g., calor non efficit ut lapis simpliciter sit, sed ut sit calidus. « Forma *substantialis*, et *accidentalis* partim conveniunt, et partim differunt. Conveniunt quidem in hoc, quod in utraque est actus, et secundum utramque aliquid est quodammodo in actu. Differunt autem, quia forma *substantialis* facit *esse simpliciter*, et eius subiectum est ens in potentia tantum; forma autem *accidentalis* non facit *esse simpliciter*, sed *esse tale*, aut tantum, aut aliquo modo se habens; subiectum enim eius est ens in actu² ».

XIII. FORMA SUBSISTENS, seu IMMATERIALIS—FORMA MATERIALIS. Sunt duae species *formae substantialis*. Forma *immaterialis* est quae in suo *esse* a materia non pendet; adeoque potest separata subsistere; quam ob rationem dicitur etiam *subsistens*. Huiusmodi est anima humana, quae ordinem quidem habet ad informandum corpus, sed tamen ab illo neque in suo *esse* pendet, quia potest sine corpore subsistere; neque in suo *feri*, quia oritur per creationem³. Forma *materialis*, vel *non subsistens* est quae in suo *esse* a materia pendet, adeoque destruitur, cum, per eunte composito, a materia expellitur. Huiusmodi sunt formae corruptibiles rerum genitarum, quae, cum de potentia materiae educantur, seu fiant ex materia per eius transmutationem, ab ista et in *esse* et in *feri* pendent. Hae

¹ Vid. *Unum per se—per accidens*, litt. U.

² S. Thom., I, q. LXXVII, a. 6 c.

³ Argumenta, quibus haec ad animam humanam spectare demonstratur, vide apud Sanseverino, *Elem. seu Institut. Phil. Christ.*, t. II, *Anthrop.*, p. 1, c. VI, a. 4, et c. VII, a. 2.

autem formae materiales, adnotante s. Thoma¹, magis, vel minus materiales sunt, ac proinde minus, vel magis ad immaterialitatem accedunt, ob diversam rationem, qua ad materiam deprimuntur. Hinc anima belluina, etsi sit forma materialis, seu non subsistens, tamen ob cognitionem sensitivam, qua pollet, altiore, quam ceterae formae materiales, gradum occupat, et ad immaterialitatem proxime accedit².

XIV. FORMA INTRINSECA — FORMA EXTRINSECA. Forma *intrinseca* est ipsa *forma informans*, sive *substantialis*, sive *accidentalis*, hae enim compositionem ipsius rei ingrediuntur, atque eius *esse* vel *substantiale*, vel *accidentale* intrinsecus constituunt. Forma *extrinseca* est extra effectum qui producitur. Haec autem vel dat efficienter *esse*, ut Deus creaturis; vel tantum moveri, ut nauta navi; et utraque dicitur etiam *forma assistens*; vel est illa, quam agens imitatur, ut vultus regis, cuius imaginem pictor exarat: quo sensu causa *exemplaris* potest appellari *forma*³.

Ex hac distinctione « Gentilium error, ut s. Thomas inquit, evacuat, qui dicebant Deum esse animam coeli, vel etiam animam totius mundi⁴ »; Deus enim dat creaturis *esse* et moveri, at non est earum *forma informans*, siquidem non est in creaturis tamquam pars illas constituens.

XV. FORMA PHYSICA — METAPHYSICA — LOGICA. Forma *physica*, seu *compositionis*, est ipsa *forma substantialis*, vel *accidentalis*. Forma *metaphysica* est totius substantiae essentia, seu integra rei natura; quocirca forma *metaphysica* in rebus compositis ex materia et forma est essentia compositi, quod ex copulatione formae cum materia constituitur⁵. Forma *logica*, quae etiam *metaphysica secundum rationem* dici solet, consistit in differentia, quae genus ad quamdam speciem contrahit. Utraque haec forma *metaphysica*, et *logica*, appellatur *forma*, ob quamdam similitudinem cum *physica* forma *substantiali*. Cum enim

¹ *Qq. disp.*, De virtut., q. I, a. 1 ad 4, et *Contr. Gent.*, lib. III, c. 68.

² De his, quae de anima belluina dicuntur, vid. Sanseverino, *Elem.*, t. cit., *Cosmol.*, c. IV, a. 3.

³ Vid. p. 60.—⁴ *Contra Gentes*, lib. I, c. 27.

⁵ I, q. XXIX, a. 2 ad 3.

haec det actum materiae, ipsamque compleat, et perficiat, idem cum quadam proportione efficitur a *forma metaphysica* respectu totius suppositi, et a *forma logica* respectu generis. Demum *forma* aliquando improprie sumitur pro quovis, unde aliqua res denominatur; ita caecus dicitur a caecitate, quae ad instar formae se habet, sicut et visio respectu parietis visi ¹.

XVI. FORMALITER—CAUSALITER. 1^o *Formaliter* aliquid dicitur tale quod tale est vel secundum proprium sui conceptum, ut homo *formaliter* est animal ratione praeditum; vel propter formam sibi inhaerentem, ut manus calida a calore, qui illi inest, dicitur *formaliter* calida: *Causaliter*, sive *efficienter* aliquid dicitur tale, eo quod talem formam producit. Ita medicina *causaliter* vocatur sana ex sanitate, quam gignit in animali ². 2^o *Formaliter* alterius actioni aliquid resistere dicitur, quod etsi nihil agat, tamen illius effectum propter contrariam dispositionem retrudit. Ita ferrum malleo resistit. *Causaliter* resistit quod vi suae actionis repellit actionem et conatum alterius: Ita calor *causaliter* resistit frigori ³. 3^o *Formaliter* facere aliquid idem est ac illud informare, *causaliter* idem est ac illud efficere. E. g., calor *formaliter*; ignis *causaliter* facit calidum; item Deus *causaliter*, et caritas *formaliter* facit de peccatore iustum ⁴.

Hac distinctione explicatur quomodo malum agere possit. Nam malum *per se*, nempe *ratione ipsius privationis*, *formaliter* agit, seu corrumpit bonum, quia est ipsa corruptio, vel privatio boni; *causaliter vero non agit aliquid per se*, idest *secundum quod est privatio quaedam, sed secundum quod bonum ei adiungitur* ⁵.

XVII. FORMALITER—CONCOMITANTER. 1^o *Formaliter* aliquid tale est, aut denominatur, quatenus ratione sui spectatur. *Concomitanter*, quatenus cum altero coniungitur. E. g., Intellectus Divinus *formaliter* est sua actio, Deus enim est purus actus; e contrario, substantia *intellectus agentis* dicitur esse sua actio, non *formaliter*, seu per essentiam, sed *concomitanter*, quia eius substantiam statim,

¹ Cf p. 102.—² I, q. XVI, a. 6 c.

² Vid. *Resistentia passiva—activa*, litt. R.

⁴ In lib. I *Sent.*, Dist. XVII, q. 1, a. 1 ad 3.

⁵ I, q. XLVIII, a. 1 ad 4. Vid. p. 7-8.

quantum est in se, concomitatur actio ¹. 2^o *Formaliter* illud cognosci dicitur, circa quod actus cognitionis proprie versatur; *concomitanter* illud, quod cum objecto proprio illius actus coniungitur; e. g., eo actu, quo praemissae cognoscuntur, conclusio non iam *formaliter*, sed *concomitanter* cognoscitur. 3^o *Formaliter* aliquid fit, quod vi cuiusdam actionis fit; *concomitanter* autem illud, quod re ipsa coniungitur cum eo, quod iam factum est. Ita in Sacramento Eucharistiae vi verborum, *Hoc est corpus meum*, *formaliter* fit praesens Corpus Christi, *concomitanter* etiam Anima, Sanguis, Divinitas; « si enim aliqua duo realiter coniuncta sunt, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse, sola enim operatione animae discernuntur quae realiter sunt coniuncta ² ».

XVIII. FORMALITER—CONSECUTIVE. *Formaliter* alicui convenit id, quod ipsius essentiam constituit; *consecutive*, quod ab essentia profluit. E. g., coniunctio hominis in Bonum increatum, *formaliter* ad beatitudinem pertinet; delectatio autem *consecutive*, quia ipsa perficit felicitatem, sicut decor iuventutem ³.

XIX. FORMALITER—EMINENTER—VIRTUALITER. Dicuntur de modo, quo alterum altero continetur. *Virtualiter*, quatenus in aliquo adest virtus producendi talem effectum; quo modo omnis effectus continetur in sua causa. *Formaliter* illud alteri inest, quod in eo reperitur secundum sui conceptum et definitionem; ita calor *formaliter* continetur in igne, et quilibet effectus in causa *univoca*. *Eminenter* id, quod praestantiori modo in eo continetur; ita anima vegetans et sentiens in anima intellectiva continetur; ita etiam perfectiones effectuum continentur in causa *aequivoca*, vel *analogica* ⁴. Quare perfectiones creaturarum eminentiori ratione Deo sunt attribuendae. Atque hic adnotare praestat causas naturales universales, e. g., solem, continere effectus causarum inferiorum eminentia imperfecta, et quae se extendit solum ad aliquam rationem communem et genericam, vel secundum quamdam proportionem, sive analogiam, « sicut, aiente s. Thoma, cum sol calefacit; est enim in sole aliquid, quod ita facit eum

¹ I, q. LIV, a. 1 ad 1.—² I, q. LXXVI, a. 1 c.

³ ¹ ²ae, q. III, a. 3 c., et *Qq. disp.*, *De Virtut.*, q. I, a. 5 ad 8.

⁴ Vid. p. 115, 116.

calescentem, sicut calor facit ignem calidum, et secundum hoc calor dicitur esse in sole aequivoce ¹ ».

XX. FORMALITER—IDENTICE. Adhibentur hae voces ad explicandum sensum, quo subiectum et praedicatum accipiuntur, ut propositionis veritas aut falsitas investigari queat; nam saepe propositio, quae falsa est *formaliter*, vera est *identice*. Itaque *formaliter*, seu in *sensu formali* accipienda est propositio, cuius subiectum, quatenus tale est, coniungitur cum praedicato, ita ut ratio, propter quam de illo subiecto enunciatum praedicatum, sit forma aliqua, quam illud exhibet. *Identice*, seu in *sensu identico*, cum ratio connexionis subiecti cum praedicato in eo consistit, quod illud *entitative* sumtum, nempe prout aliqua res est, idem est ac istud. Ita propositio isthaec, *rationale est mortale*, falsa est in *sensu formali*, nam falsum est rationale, quatenus rationale, esse mortale; sed vera est in *sensu identico*, quia in hoc sensu accepta significat rem illam, quae est subiectum, nempe hominem, esse eandem cum illa, quae est praedicatum.

Ex his intelligitur quid sibi velint Theologi, cum docent in Filio esse Paternitatem non *formaliter*, seu tamquam forma, per quam Filius subsistit, sed *identice*, quia *Paternitas* idem est ac natura Divina, quae est in Filio. Item, haec propositio, *Iustitia in Deo est misericordia*, vera est in *sensu identico*; sed non in *sensu formali*.

XXI. FORMALITER—IN CAUSA. Cum de actibus voluntatis sit sermo, *formaliter* idem significat ac *directe*. In *causa*, *indirecte* ².

XXII. FORMALITER—MATERIALITER. 1° *Formaliter* usurpatur vox aliqua, cum exhibet conceptum rei, quam significat, ut cum dicitur, homo est animal: *Materialiter*, cum aliquid denotat de ipsa voce, prout talis est, ut cum dicitur: vox *homo* est vox latini idiomatis. 2° Fere idem valent ac *Formaliter—Identice*, de quibus supra. Nempe *formaliter*, vel *reduplicative* sumitur subiectum alicuius propositionis, cum in seipso rationem involvit, cur praedicatum ei conveniat. Ita sumitur subiectum huius propositionis: *Medicus sanat*; *Medicus* enim, quatenus *medicus* est, sanat. Hinc *formaliter* hic significat *quatenus ta-*

¹ In lib. IV Sent., Dist. I, q. I, a. 4, sol. 4 c. Vid. p. 61.

² Vid. p. 96-97.

le. Sin autem non propter formam, per subiectum significatam, praedicatum cum illo coniungatur, tunc subiectum *materialiter* sumi dicitur, ut in hisce propositionibus: *Medicus canit*; *Album est dulce* etc. ¹.

XXIII. FORMALITER—OBJECTIVE. 1° *Formaliter* existit id quod revera in se est, et extra suas causas existit: *Objective*, id quod existit in cognoscente, sive quatenus est obiectum cognitum: quo modo existunt quae sunt futura, vel tantum possibilis: 2° *Formaliter* in altero esse dicitur id, quod secundum suam naturam: *Objective* autem id quod instar obiecti cogniti, et per imaginem sui in illo existit. E. g., cognitio rei *formaliter*; res cognita *objective* est in intellectu; nam « intellectui nostro nihil est secundum statum viae praesens ut obiectum, nisi per aliquam similitudinem ipsius ² ». 3° In genere morum dicitur quaedam actio *objective* bona et honesta, vel mala et inhonesta, quatenus ex se refertur ad ultimum finem, vel ab eo distat; *formaliter* vero, cum ab agente ad hunc finem dirigitur, necne. Quo sensu actus, e. g., elemosynae potest esse *objective* bonus, *formaliter* malus. 4° Aliam significationem harum vocum vid. infra, voc. *Intentionaliter*.

XXIV. FORMALITER—REALITER—RATIONE. De variis distinctionum speciebus haec praedicari solent. Realiter distinguuntur ea, quae, nemine cogitante, non sunt una et eadem res. Duplex autem est huiusmodi distinctio, *maior* nempe, et *minor*. Distinctio *realis maior* est distinctio rei a re, atque intercedit inter duas res, quarum altera vel ab altera separatim existit, ut inter Pompeium et Caesarem; vel ab ea separari potest, ut inter animam et corpus; vel relationis oppositionem ad illam involvit, ut in Divinis inter Patrem, et Filium. Distinctio *realis minor* est ea, quae intercedit inter rem aliquam, et ipsius modum; e. g., inter digitum et eius inflexionem; inter lineam et eius obliquitatem. *Distinctio rationis* est ea, quae a mente excogitatur in iis, quae revera unum idemque sunt; iterumque duplex est, scilicet *rationis ratiocinantis*, et *rationis ratiocinatae*. Prima, quae propter suam i-

¹ Vid. alias significationes in explicatione vocum, *Obiectum materiale—formale*, litt. O.

² In lib. I Sent., Dist. XVII, q. 1, a. 4 ad 4.

nantatem *nugatoria* appellatur, est ea, quae fit sine fundamento in re; e. g., cum Petrus in hac propositione, *Petrus est Petrus*, ita a nobis consideratur, quasi per aliud haberet rationem subiecti, per aliud vero munus obiret praedicati. Altera est ea, quae fit cum aliquo fundamento in re, cum nempe mens in una eademque re plura concipit, propterea quod res ipsa eius sit naturae, ut pluribus aequivaleat, vel varios producat effectus; huiusmodi est ea quae intercedit inter absoluta attributa Dei; illa enim variis et distinctis conceptibus cogitamus, atque huius conceptuum varietatis fundamentum in ipsa Divinae perfectionis eminentia est; siquidem Divina Attributa, etsi in ipso Deo una res sint, tamen res illa pluribus aequivaleat perfectionibus creatis realiter distinctis, et diversos producit effectus, qui a causis re ipsa distinctis produci solent. Quocirca haec distinctio appellatur etiam *virtualis*, quia res, quae per eam distinguitur, licet sit una, tamen multis *virtute* aequivaleat; e. g., misericordia et iustitia Dei, quae sunt una et eadem res, nempe Deus ipse, duabus virtutibus revera distinctis aequivalent.

Praeter has distinctionis species Scotus tertiam in Scholis invexit, quam *formalem ex natura rei* nuncupavit. Huiusmodi distinctio, ex eius sententia, ea est, quae intercedit inter plura, quae in se realiter non distinguuntur, neque a se invicem separari queunt, sed eius sunt naturae, ut, seclusa mentis operatione, diversas definitiones exigant, diversosque conceptus exhibeant, quia unum, quatenus tale, alterum a sui conceptu excludit, atque uni, quatenus tali, aliquid convenit, quod alteri, quatenus tali, non convenit. E. g., *animalitas* et *rationalitas* in homine non distinguuntur *realiter*, quia una nequit esse sine altera; neque tantum *ratione*, quia ante omnem intellectus actionem *animalitas* non est *rationalitas*; sed distinguuntur *formaliter*, quia habent diversos conceptus obiectivos, siquidem *animalitas* sine *rationalitate* concipi potest, atque per illam, secus ac per istam, convenit homini similitudo cum brutis. At praeter distinctionem *realem* et *rationis* nullum aliud distinctionis genus excogitari posse ceteri philosophi docent. Et sane, omnis distinctio vel praecedat mentis operam, vel non. Iam, si praecedat, est *realis*; secus, est *rationis*; quocirca ubi non est res distincta, nequit esse distinctio extra mentem. Insuper per distinctio-

nem *virtualem* ea explicari possunt, quae distinctioni *formali* assignantur; nam eo ipso, quod res pluribus aequivaleat, definitiones varias, variosque conceptus admittit, quorum unus eam apprehendit, secundum quod aequivaleat uni, et alius, secundum quod aequivaleat alteri.

F

EFFATA

I. FALSUM FUNDATUR IN VERO. Huius rationem s. Thomas ita assignat: « Aliquid existens extra animam pro tanto dicitur falsum, quia natum est de se facere falsam existimationem, quando movet virtutem cognitivam; unde oportet quod illud, quod falsum dicitur, aliquod ens sit: unde cum omne ens, in quantum huiusmodi, sit verum, oportet falsitatem in rebus existentem supra veritatem fundari: unde dicit Augustinus, in lib. *Solil.*, c. X, quod tragaedus, qui repraesentat veras personas in theatris, non esset falsus, nisi esset verus tragaedus; similiter equus pictus non esset falsus equus, nisi esset pura pictura. Non tamen sequitur contradictoria esse vera, quia affirmatio et negatio, secundum quod dicunt verum et falsum, non referuntur ad idem ¹ ».

II. FINIS CUIUSLIBET REI EST BONUM. Nam finis cuiuslibet rei est id, in quod terminatur eius appetitus: appetitus autem cuiuslibet rei terminatur ad bonum ²: cuiuslibet igitur rei finis est aliquod bonum ³.

III. FINIS EST MENSURA MEDIORUM. Scilicet 1^o cum inter id, quod ad finem ordinem habet, et ipsum finem, uti mox dicemus, proportio sit oporteat, sequitur, ut ratio eorum, quae ordinantur ad finem, sumatur ex fine, « sicut ratio dispositionis serrae sumitur ex sectione, quae est finis eius ⁴ ». 2^o Eo media sunt praestantiora, quo fini assequendo magis conveniunt. Ita, remedia sunt eo praestantiora, quo sanitatem melius conservant, aut resti-

¹ *Qq. disp.*, De Ver., q. I, a. 10 ad 5.—² Vid. p. 53.

³ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 16. Vid. *Omne agens agit propter bonum*, lit. O.

⁴ 1^a 2^{ae}, q. CII, a. 1 c.